

7

vè aliena sit. oritur, ἐγχειρήσεις item operationum Chymicarum omninò negligent, adeòq; non tam circa nucleum rerum naturalium, quam earundem exterio rem saltem corticem occupentur.

Quam inepta vera RATIO est absque Experientia; tam inutilis EXPERIENTIA est sine Ratione. Quid enim per Deum immortalem illi sic dicti Chymici, encheiresibus quidem quam plurimis, operationum verò ratione nullâ instructi, aliud sunt quam coqui? Quemadmodum enim hi, pro certo cibi genere conficiendo, miscent Aquam, Salia, Carnes, Aromata, ignique apponunt de rationibus parum solliciti; ita illi posthabitis rationibus omnibus, miscent e.g. Antimonium, Nitrum, Tartarum, pro Regulo producendo, nulla hîc differentia. Hi agunt aliquid, quid verò agant, ipsi omninò nesciunt, & tamen aliundè mendicorum instar impetratis processibus, mirum quantum sibi placeant, quamve thraasonicos titulos; Magisterium magnum, Nectar panchrestum, Tinctura astralis, Quinta Essen-

A 4